13.

DEO DUCE

MEDITATIO S. EVANGELII

DOMINICÆ I. POST EPIPHANIAS

Additis S. Patrum dictis, Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cùm opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regia Aboënsi Academia.

PRÆSIDE

DN. ÆSCHILLO PETRÆO

S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

Examini subijcit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem 22. Iunij Anno 1649.

JONAS N. Höök VVESTMANNUS.

A *Theoph. in Luc.*

Christus simul venit, cum parentibus in Hierosol: ut per omnia ostendat se non adversarium Deo, neq; repugnantem his, quæ à lege posita fuerunt.

B *Luth. in Hunc Text.*

Christus Dominus est super omnia, & tamen nobis pro exemplo sese demittit, parentibus obsequitur, ut nobis de utroq; officio nostro constet. Primum ut Deo suam obedientiam, deinde parentibus & Magist. magna fide religione præstemus, ut Pueri Jesu Exemplum nos de officiis exactè admonet ut Deo quod Dei est, Cæsari quod Cæsaris, parentibus quod parentum est persolvamus.

ABOÆ.

Excudebat Petrus Wald/ *Acad. Typogr. Anno* 1649.

Admodùm Reverendo in CHRISTO Patri ac Domino,

D. OLAVO LAURELIO

S.S. Theol. Doctori celeberrimo, inclytæ Arosiensis Diecœseos Episcopo gravissimo, Mecœnati, Promotori summo observantiæ cultu ætatèm colendo.

UTET

Nobilissimo ac Strenuissim. VIRO,

Dn. LAURENTIO JOH. JEGERHORN/ de Storegården & Suckis/

Patrono ac Nutritio propensissimo.

NEC NON

Reverendis, Præclariss. & Præstantiss. VIRIS,

Consistorij Arosiënsis ASSESSORIBUS & Gymnasij LECTORIBUS solertiss. Fautoribus & Promotoribns plurimùm suspiciendis

ITEM

Reverendis, Humanissimis & Doctiss. Pastoribus fidelissimis,

Dn. CAROLO HYsing/ *Pastori in* Fellingz Broo *meritiss. & ejusdem districtus Præposito vigilantissimo.*

Dn. ERICO OLAI *Pastori in* Nora *dignissimo.*

Dn. OLAVO PETRI *Pastori in* Linde *fidelissimo.*

Præsentem Meditationem in debitæ observantiæ & gratitudinis signum submissè & Reverentèr offert

Jonas Nicolaj Höök/
Respondens.

DOMINICA I.
POST EPIPHANIAS

In Sanctæ & Summè Laudandæ Trinitatis Patris, Filii & Spiritus Sancti Nomine.

IN Actis Apost: refert S. Lucas cap. 5. 29. *Quemodo Petrus responderit Pontifici maximo, dicenti: nonnè demandavimus vobis, ne doceretis in nomine isto. Et ecce repleristis Hierosol: doctrina vestra, & vultis in nos inducere sanguinem hominis istius* videlicet hunc in modum: *Obedire oportet potius Deo quam hominibus.* Hæc responsio pulcherrima est, quadrans ad ipsam Naturæ legem svadentem, ut ei præ omnibus alijs obedientes simus, quj nos creavit & fecit, qui dedit corpus & animam, & qui potest utrumq; perdere & servare, æquum est ut hunc colamus, ipsumq; diligamus & timeamus. Parentes quidem nostri omni honore afficiendi & venerandi sunt, illis mos gerendus, & omnibus qui nomine Parentis appellantur in S. Sacra; ut sunt Magistratus politici, Doctores in Ecclesia Præceptores in Scholis, Patres familias: Verum hac conditione, si nihil præcipiant & requirant quod contra Deum & ejus mandata est. Si verò aliquid præceperint quod Deus prohibuit, nullo modo faciendum, in quacunq; dignitate sint. Sic hic Apost: Petrus & reliqui dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominib. Quia itaq; parentes naturales, Magistratus seculares, Doctores Ecclesiastici, &c. Omnes sint homines, ideoq; illis omnibus eatenus mos gerendus, quatenus nihil contra Deum svadent vel præcipiunt. De hoc etiam in hodierno Evang. aliquid proponitur.

ORemus etiam Deum, ut hodiernum Evang: ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ & bonorum operum, in spem & fiduciam & tandem æternam beatitudinem. Dicamus igitur Pater noster, &c.

EVANGEL. Luc. 2. â vers. 41. ad finem.

ETibant Parentes ejus per omnes Annos Hieros. in die solenni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, adscendentibus illis Hierosolymam, Secundum consvetudinem diej festi, consummatisq; diebus, cum redirent, remansit Puer JESUS in Hierusalem, & non cognoverunt Parentes ejus. Existimantes illum esse in Comitutu, venerunt iter dici, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non invenientes eum, regressi sunt Hierusal: requirentes eum & factum est post triduum, Invenerunt illum in Templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantẽ eos. Stupebant a. omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus. Et videntes admirati sunt, & dixit Mater ejus ad illum: Filj quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia, in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? & ipsi non intellexerunt verbum, quod loqvutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: Et erat subditus illis. & Mater conservabat omnia verba hæc in corde suo,

&

& JESUS proficiebat sapientiâ & ætate, & gratia apud DEum & homines.

PArentes suos Christus, adhuc puer duodecimum annum agens comitatus, dum illi peractis sacris juxta consvetudinem domum eunt, remanet Hierosolimis, illis inscijs, & filium omninò in comitatu esse cogitantibus, cognito autem quod abesset, regrediuntur Hierosolymam, & postquam toto triduo ipsum quæsivissent, inveniunt eum tandem sedentem in templo inter Doctores & Sacerdotes, interrogantem & respondentem, tanta sapientjâ, ut omnes ob illius sapientiam obstupescerent. Parentes autemcũ illũ ibi viderunt, increpat quidem mater ipsum quarè remansisset, se & patre inscijs, fert v. hoc responsum ab ipso. Quid est quod me quærebatis, Nonne scitis quod in illis, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Interim tamen cum eis descendit Nazarethum, & subjectum se illis præbuit, profecitq; sapientia & gratiâ apud Deum & homines. Sanctificandũ esse Sabbathũ, monemur in hoc Evangelio diesq; festos, celebrãdos juxta Ecclesiæ consvetudinem: Item juxta quartum præceptum honorandos esse Parentes.

PARTES.

I. De Parentum Christi pietate, & eorum insperata calamitate.

II. De virtutibus & donis Adolescentiæ Christi.

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice brevitèr & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & æternus Deus Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utilitèr & fructuosè cedere faciat.*

PARS PRIMA.

In qua meditamur.

I. Pietatem parentum Christi.

Hæc inde liquet, videlicet q,d reversi ex Ægypto in Galileam in civitatem suam Nâzareth, non neglexerũt laudabilem consvetudinem quot annis eundi Hierosolymam ad sestũ Paschatos juxta institutionem Dei Exod.1 v.2: 18. c.23: 14.c.34: 33. Ubi jubetur omne masculum in anno comparare Hierosolymis coram Domino, festo Paschatos, Pentecostes, & tabernaculorum. Dicit v.S. Lucas q,d parentes Christi quotañis ad festum paschatos venerint, quasi diceret Evangelista quamvis parentes hi potuissent se excusare quo minus celebrarent hoc festum, tamen legi obedientiam præstabant quotannis".

L. C. 1. Commendatur hic omnibus diligentia in cultu Dei. Abraham commendatur quod altaria ædificavit, ibiq; prædicavit nomen Domini. Genes. 12.℣. 8. cap. 13. ℣. 4. David Psal. 84. Suam diligentiam describit in frequentandis publicis cætibus".

L. C. 2. Quod S.Maria licet lex illa saltem masculos obligaret, non v. fœminas, tamen marito se comitem adjunxit & filio suo. JESU. Prælucet illa hoc suo exemplo, quod ad gloriam Dei, etiam de nostro jure cedendum. Inde quoq; Uxores discant Viros suos amare, eis ministrare.

II. Quod hi parentes non neglexerint filium suum, quo minus & ille adduceretur ad festum Paschatos cùm per ætatem una ire posset. Duxerunt eum secum quoq; diebus Sabbathi ad synagogas ad audiendum Mosen & Prophetas, & præterea ad festum Paschatos, quia sic erat in lege Domini præscriptum. (A)

L. C. Omninò liberi nostri diligenter assvefaciendi ad cultum divinũ, ad templa frequentanda, cum per ætatem id facere possunt. Quo semel est imbuta recens servabit odorem, testa diu. Commendatur Abraham quod diligenter suos in pietate & cultu divino exercuerit.

rit. Gen. 18: 19. Valde necessarium, ut parentes non segnitèr adhibeant & assvefaciant ad pietatem liberos. 1. Ne malitia illa congenita instauratam in illis imaginem Dei destruat. 2. Ne diabolus illos solos, inter malos constitutos, in absentia parentum seducat ad aliquod peccatum, sicut Evam tentavit dum sola erat: sicut Israëlitas impulit ad idololatriam in absentia Mosis, Exod. 32. 3. Reddenda est Deo nostro ratio quomodo præfuerimus villicationi nostræ, bona equidem nostra malè administrantur, quando liberi non benè educantur vide Syr. 38: 25.

III. Quod manserint Parentes

Christi donec omnia essent peracta. Est & illud pium & laudabile in his parentibus, quod non retardaverit eos iter longum, multa negotia domi expedienda, sed manent etiam patientèr in cultu divino usq; ad finem sacrorum. L. C. Consuetudo ista quorundam damnatur, qui rarò templa frequentant & concionibus intersunt, prius quoq; exeũt è templo quam omnes Ceremoniæ finitæ, è diametro enim pugnant cum parentum Christi consuetudine, qui manserunt Hierosolymis donec omnes ceremoniæ peragerentur, ideo prava illa consvetudo prorsus repudianda & abijcienda. Quid enim aliud præ se fert excursio illa è sacris, antequam omnia finita, quam tædium & fastidium verbi Dej, rerum mundanarum & terrarum desiderium, & studium Vanitatis: Quærite imprimis regnum Dej inquit Christus & justitiam ejus, & cætera adijcientur vobis Matth. 6. Hic promittit Christus se cætera datum nobis si modo primùm justitiam & regnum Dei quæsiverimus. Qui in cultu divino ita impatientes sunt nunquam inde feliciores & ditiores vel melioreo.

liores fiunt. Et non dubium quin de illis Deus omnipotens hoc cogitat, honorans me, ego honorabo, qui autem Deum contumeliâ afficit, confundetur quiverbum Dei non audiunt Ioh 8. ex Deo non sunt. ubi tamen infirmitas corporis aliusq; casus necessitatis excusare exeuntes potest

IV. Insperatam parentũ Christi tristitiam in quam inciderunt.

Causa tristitiæ erat, quod dum parentes Christi consummatis diebus, redierunt, remansit Puer Iesvs ipsis inscijs, putantibus illum esse in comitatu cum verò vesperi inquirunt eum inter cognatos & notos non invenerunt ipsum. ExaSperauit itaq; & hoc dolorem, quod non mox, sed demum tertio die invenerunt ipsum. Interea dum quærebant, timebant nè fortè ipsorum culpâ & negligentiâ in hostium manus incidisset, nè etiam ipsorum culpâ & negligentiâ promissa mundi salus impediretur, hanc tristitiam suam & mariti indicat Maria dicens: Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Luth. vocat hanc parentum Christi solicitudinem tentationem sublimem & gravissimam (*Quæst.1*)

L. C. 2. In hac historia amissionis Christi cernimus quasi in tabula, quomodo aliquando pij homines, & dum pijssimè & accuratissimè juxta legem Dej & voluntatem ejus vivere student, & dum nihil aliud facere intenderunt, & conscientiæ suæ testimoniũ possunt de hoc habere, amittatur ex corde ipsorum Christus, ut nullam ex jncarnatione, passione, morte & resurrectione ejus sentiant consolationem, Ideoq; in magnâ constituti sunt anxietate & cruciatu cordis, quem querimonijs & lachrymis ostendunt, Quæ tentatio est gravissima.

niunt

L. C. 2. Quod Parentes Christum quem amiserunt, inveniunt, non inter cognatos & notos; sed in templo, utilem doctrinam præbet, quod verbi Dei assiduus & diligens auditus & meditatio sit optimum medium inveniendi Christum, excitandæ & corroborandæ in nobis fidei, spei & bonæ conscientiæ, ideoq; David magno desiderio altare Domini in atrio domus ejus invisere se ait, Psal. 84.

SECUNDA PARS.

IN prima parte parentum Christi pietatem, & in pietate hac, illorum crucem & calamitatem aspeximus; in hac secunda parte pueri Jesu virtutes & dona contemplabimur.

In qua meditamur.

I. Christi obedientiam, quod

iverit una cum parentibus Hierosolymam ad festum paschatos, quod etiam postea peractis illis quæ habebat in mandatis â Patre suo cœlesti rursum descenderit cum parentibus Deo ita plus obedierit qam parentibus iuxta illud Act. 5. (*B*)

L. C. 1. Diligendj & honorandi sunt parentes exemplo Christi; & juxta quartum Præceptum, quod præceptum primum in promissione est, ut benè sit liberis & longævj super terram, interim magis diligendus Deus, oportet Deo magis obedire quam hominibus. Act. 5. Cum itaq; intelligunt liberi, famuli, subditi, aliquid â superioribus sibi mandari & præcipi quod Deus prohibuit & vetuit, nequaquam pareant, nequaquam assentientur, Deo obediendum magis, quam hominibus, atq; hac cautelâ ex-

ceptâ, promtissimi & paratissimi simus quævis faciendi juxta nutum ipsorum, Sicut Christus legitur descendisse cum parentibus, eisq; subditus fuisse, postquam ea expediisset quæ Patris ejus cælestis erant.

L. C. 2. Christus non est filius Iosephi, sed Dej sic enim hic respondit utriq; & Iosepho & Mariæ: An nesciebatis me oportere esse in illis quæ Patris mej sunt? Communis quidem nec non erat vulgi opinio hæc de illo, quod putabant eum esse filium Iosephi, quia sedulam curam habebat CHRisti in ipsius infantia. Ideoq; in symbolo profitemur, nos credere in JEsum CHristum filium ejus, videlicet Dei patris creatoris Cæli & terræ.

II. Cum Doctis & sapientibus conversationem

Non invenitur cum sodalibus nequam in plateis, nec in alijs locis suspectis, sed in templo, inter doctores & sapientes, eos de serijs rebus gravibus & utilibus, audiens & interrogans. (Quæst. 3)

L. C. 1. Discant & nostri adolescentes amare bonorum hominum, Doctorum, & sapientum consortia, fugiant societatem malorum & impiorum: Si videris virum sapientem semper tecej associa, qui picem tetigerit, inquinabitur ab eâ Syr. 13. 31. Corrumpunt bonos mores prava colloquia 1. Cor. 15. 33. Quæ conventio Christi & Belial. 2. Cor. 6. 15. Beatus qui non abit in consilio impiorum Psal. 1. 1. damnatur cum impijs societas Psal. 50. v. 17. 18. 19. 20.

L. C. 2. Dum Christus sapientes illos & Doctos partim audit, partim etiam interrogat, voluit hoc suo exemplo sanctificare officium tum docentium, tum discentium, quia ergo Christo tunc talia exercitia placuerunt etiam nunc sine dubio placent, neq; enim postea adultus talia

ex-

exercitia improbavit unquam: Honorificè itaq; de exercitijs Scholasticis sentiendum & loquendum. Faciendum hoc qdem ideo nõ solum q,d ex scholis & Academijs viros societati humanæ necessarios habemus, sed & ideo quia Christus ipse his exercitijs interesse dignatus est. Nuptiæ & conjugium commendatur, cum quod per se honorabile ob necessitatem, utilitatem & jucunditatem tum verò etiam ideo quod Christus nuptijs cum Matre & discipulis voluerit non solum interesse, sed etiam ibi primum miraculum facere Ioh. 2.

Professores itaq; scholarum Rectores, studiosi & scholares, cogitent se vivere in statu Deo placente, quilibet quod suum est faciat, & divina non cessabit benedictio, non labor noster in Domino erit Inanis.

III. Pueri JEsu dona.

Profecit in sapientiâ & gratia una cum ætate crevit, mirabilis deprehendebatur sapientia, & gratia. Sapientia significat dona in intellectu & mente: Gratia verò significat dona in reliquis animæ viribus,, in sermonibus, gestibus & actionibus, q ibus omnibus addita fuit peculiaris divina gratia, unde hic puer gratus, amabilis, & acceptus, fuit, non tantũ cognatis & notis, sed doctoribꝰ in templo. (*Quæst.*)

L. C. fateri quidem cogimur nos & nostros adolescentes ad eam sapientiam & gratiam pervenire nõ posse, quam Christus habuit, ille enim dona præ omnibus accepit, tamen opera danda ne in aliquo adolescente vel juvene desiderentur virtutes Adolescentiæ Christi, quantum possibile est homini illas imitari, orent Deum ut sapientiam & gratiam consequentur.

Omnipotens & æterne Deus concede quæsumus; ut ceremoniis à te institutis & de te nos commonefacientibus hilari

animo adsimus, & his & verbo tuo commonefacti, tibi obediamus, & Christum lucem & justitiam & vitam nostram, si quando amissus fuerit, rursus in templo & verbo tuo inveniamus & id in corde nostro conservemus, una cum filio tuo Domino nostro IESU Christo. Proficientes sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines. Salvi fiamus per eundem Dominum nostrum IESUm Christum qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum Amen

BEnedictio & Claritas, & Sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apocal. 7: 12.

QUÆSTIONES.

I.

Vnde orta opinio parentum de puero Jesu quod esset inter cognatos & notos quærendus? Respond.

Quidam ita disputarunt: Quod mos fuerit, non simul, sed separatim viros & separatim mulieres proficisci: Ne sz. vel viri solo comitatu mulierum contaminarentur Euntes ad festa. Pueros verò impuberes, potuisse cum alterutro proficisej. Ut ita alter parentum putarit puerum esse in comitatu alterius. Sed commodius ita posset exponi, ut referatur ad rationem institutionis seu indolis hujus pueri. Non enim ea ejus indolis fuit, ut velut μεσανθρωπος hominum consvetudinem fugeret, quasi cognatorum & notorum piam familiaritatem, prpoter morositatē vel petulantiā conevare & tueri, vel non vellet, vel non posset. Sed quia parentes securi, proficiscuntur hac persvasione, quod existiment cognatos & notos, qui erant in comitatu puerum habere sibi

ad-

adjunctum, rectè inde colligitur, Puerum Iesum cum cognatis suis sæpe familiaritèr conversatum esse, & quidem talem fuisse dexteritatem & gratiam in pueruli ejus conversatione, ut notitiam & familiaritatem ejus præter cognatos, multi etiam alij expetierint & amarint, ideo enim Lucas distinctè nominat Cognatos & notos

2. Quomodo intelligendum quod puer dicatur inventus in templo? Respond.

Erant ad illud templum peculiaria quædam sivè conclavia sivè cameræ sivè cubicula extructa, in quibus vestes, donaria, & vasa sacra reponebantur: in quibus etiam sacerdotes tempores vicis suæ cubabant. Vocatur iste locus Gazophylacium, in illis Gazophylacijs, solitos convenire sacerdotes & populum, Doctores, & discipulos, ad lectionem & interpretationem Scripturæ sacræ, colligitur ex cap. Iere. 36. 20. Baruch enim in Gazophylacio scribæ Elisamæ legit prophetiam Ieremiæ audiente omni populo. Et 4. Reg. 16. 18. Impi Achaz scribitur è domo domini removisse Musach: Quod eruditi interpretabantur pro tabulato in quo sedebant Doctores interpretantes legem & prophetas: Et quod fuerit forma hujus quasi Suggesti sicut vulgo vocatur, ex cap. 8. v4. Neh: colligi potest, & Christus Mar. 13. 41. Ioh. 8. 20 in Gazophylacio in templo sedet & docet. Et Ioh. 18. 20 dicit docui in templo, ubi omnes judæj conveniunt.

3. De quibus Christus egerit Hierosolimis cum sacerdotibus? Respond.

Verisimile est fuisse præludia disputationum de illis Articulis, de quibus ipsi postea, toto tempore ministerij sui, certamina acerrima fuerunt, cum Doctoribus templi.

Certum enim est, voluisse ipsum in disputatione anni duodecimi tyrocinium exhibere, futuri sui officij Mal. 3. 3. De purgandis filijs Levi. Fuit ergo sine dubio specimen ejus doctrinæ quam postea traditurus erat. Veras sententias explicando, corruptelas refutando: Ut de persona & officio Messiæ: De discrimine legis & Evangelij. De vero cultu Dei in N. T: De abrogatione ceremoniarum Liviticarum. De traditionibus Pharisaicis etc. Nec dubium est, Puerum IESum, interrogando modestè monstrasse, quod cum verbis & cum perpetuo sensu S. sacræ non consentiant illorum traditiones & quia tanta Evidentia hoc faciebat, ut Doctores contradicere non possent, data fuit ipsi occasio, respondendo illustrare sententiam doctrinæ propheticæ. Simul a conjuncta fuit sapientia & gratia, ita ut omnes obstupescerent.

4. An Phrasis ista, Mater conservabat omnia Verba hæc in corde suo, Idem significet, quod hæc Phrasis, Maria notavit diligentèr Eventus illos circa Christum? Aff.

Nam ῥήματα accipiuntur Hæbreo more historicè de rebus gestis. Quod n. verba Christi attinet, jam testatus est S. Lucas, quod illa non intellexerit. Observat ergo jam Eventus mirabiles, quod Christus cum admiratione inter Doctores disseruit, & quid in eo festo memorabile in illo observarit. Ita prius Simeonis judicium admirati sunt parentes ejus. Sic Pastorum sermones de visis Angelis Maria etiam studiosè observavit, conservans in corde suo. Similem diligentiam in audiendo verbo Dei & conservando adhibere nos oportebat. Omnia quæ de Domino vel à Domino facta cognovit,

sive

ſive quæ intellexit: Sive quæ non dum intelligere potuit: Omnia in memoria recondebatur, ut cum aliquãdo tempus prædicandæ ſeu ſcribendæ incarnationis ejus adveniret: ſufficientèr univſa pro ut eſſent geſta poſſet explicare quærentibus: Sic nos crebra factorum & dictorum Domini meditatione, importunos cogitatus repellamus: & alios inſtruere Laboremus".

5. An Ex verbis his Luc. Ieſus proficiebat Sapientiâ, probari poſſit, Chriſtum habuiſſe animam rationalem? Aff.

Idem enim dicitur Eſaiæ 7. Ut diſcat reprobare malum, eligere bonum. Hoc ſicut non poteſt de potentia vegetativa. Ita etiam de divina natura, quæ augmentũ nõ recipit, poteſt intelligi. Reliquum ergo eſt ut de mente humana intelligatur Ita etiã de voluntate humanæ naturæ extant illuſtria teſtimonia. Ioh. 5. Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me. Ioh. 16. deſcendi de cælo, non ut meam voluntatem facerem. Matth. 26. Non mea voluntas fiat, ſed quod tu vis. Atqui Secundum divinitatem ſicut una eſt eſſentia, ita una eſt voluntas Patris, filij, Spiritus Sancti. Ergo divinitas non fuit loco mentis, in humana natura Chriſti: Sed habuit illa ſuam peculiarem & propriam mentem & voluntatem, hoc eſt, animam rationalem, non quidem vel averſam, vel adverſam, ſed tamen diſtinctam â divina natura. Ita de reliquis etiam conditionibus quæ in humana natura, & corporis & animæ propriæ & peculiares ſunt, exſtant Teſtimonia in Evangelica hiſtoria, quod Chriſtus in incarnatione illas aſſumpſerit & habuerit. Et Paulus Philp. 2. Hæc teſtimonia una ſententia complectitur, in ſimilitudine hominum factus

&

& ſchemate inventus eſt ut homo. Nazianzenus utitur hoc argumento: Chriſtus vocatur homo, & filius hominis. Sed caro ſola etiam viva, ſine anima rationali, non conſtituit hominem, ſed brutum quiddam. Non ergo verè diſceremus in ſymbolo: Et homo factus eſt ſi non integram ſeu totam humanam naturam, hoc eſt corpus humanum & animam rationalem aſſumſiſſet. Porrò quod ad illam humanæ naturæ in Chriſto integritatem etiam pertineant conditiones, quæ humanæ naturæ propriæ & ordinatæ ſunt, teſtatur dictum illud, Heb: 2. Ita ſemën Abrahæ aſſumſit, ut per omnia excepto peccato, ſimilis factus eſt fratribus.

Hæc notanda ſunt contra Apollinarem ſtatuentem Chriſtum ſolum habuiſſe corpus, non verò animam rationalem. Quem errorem damnat conciliũ Epheſinũ his verbis Non enim dicimus, q̃d Dei natura converſa, vel immutata ſit, ſed magis quod carnem animatam, anima rationali ſibi copulaverit, verbumq; ſubſtantialitèr & ineffabiliter factũ ſit homo. Ita concilium Epheſinum concilium Chalcedonenſe ſic ait: Conſentientes ſanctis patribus unum eundemq; filium confiteri Dominum noſtrum IESVM CHRIſtum. Conſona voce docemus, Pariter perfectum eundem in deitate Deum & hominem verum eundem ex anima rationali & corpore.